

tam febrem facta, urinæ crassioris, & acervatim erumpentis fluxu, & Alvi motu. Addit & quartum, nempe sudores paulatim oborientes, quorum nihil in nostro casu successit, neque illi prædictorum modorum successa sanatio attribui potuit. De posterioribus enim non est dubium, cum in processu nulla similis mentio habeatur ex Testium depositionibus, quæ tamen cum essent notata maxime digna non siluissent, si aut omnia, aut eorum aliquod apparuissent præcipue interrogati, ut fieri solet.

De febre tantummodo prima fronte non contemnendum insurgere videtur, dubium, cum in casu nostro non solum adfuerit febris, sed convulsio cum febre prehenderit, & per totum morbi progressum perseveraverit: palam vero est non solum ex superiori Hippocratis sententia, sed ex mille aliis ejusdem assertionibus, & ex ipsa experientia, febrem Convulsioni remedio esse & per eam resolvi materiam omnem convulsionem excitantem; unde cum hic morbus haberet remedium consuetum, naturale ac proprium ex ipsa febre, non videtur ejus sanatio modo aliquo miraculoso contigisse.

Cui dubitationi ex ipsiusmet Hippocratis dictis, & auctoritate plenissime satisfiit; cum enim de eare verba facit, Convulsionem, inquit, sanat exorta febris acuta, quæ prius non fuit; at in casu nostro

febris ab initio cum ipsa convulsione prehendit, ut ex facto patet, immo idem Hipp. lib. cit. Coac. Prenot. docens, non omnem febrem remedio esse Convulsione, declarat deinceps, qualis esse debeat, ut proficua sit dicens, Febris Convulsioni finem affert, quæ aut eodem die, aut postmodum aut per eundem incidit, sed si eam, qua inveni horam excesserit, neque cessarit, prava est. At in Ægrotante hoc nostro febris semper perseveravit ex quo prehendit, unde tantum abest, ut febris huic convulsioni finem attulerit, ut potius prava, & exitialis extiterit juxta illam Hippocr. sententiam in sepe cit. lib. Coac. Prenot. sect. 2. num. 29. Convulsio in febre contingens perniciosa est, & aliam ibid. sect. ead. num. 30. Cum febre acuta Convulsiones perniciosa, & aliam ad rem nostram magis facientem. Convulsio febrili superveniens omnino funesta, perard etiam Puerulis, qui vero septem annis proveciores sunt, convulsione non tentatur in febre, sin autem, desperati. Ergo cum febris hæc esset prava, & Convulsionem adjungam haberet, morti certissima hominem adjudicare debuit, nisi supernaturale auxilium præsto fuisset, naturali quocunque omnino deficiente. Ejus ergo sanatio miraculosa fuit, & meritis B. Laurentii Iustiniani successit, ad cuius invocationem in instanti, absque ullo motu naturali, & morbus, & omnia consequentia morbum evanuerunt.

## CONSILIVM V.

## ARGUMENTVM.

Blasius Carpentarius annum agens octavum supra quinquagesimum ex Scia dolore tam male habuit, ut per se ambulare in posterum non poterit, sed coactus sit fulchris gressus sustinere; ac jam nonnullis mensibus transactis recuperandæ salutis vel Artis, vel Naturæ præfidiis spem omnem abjecerat; cum ad altare B. Laurentii Iustiniani claudicans, & fulchris adjutus se contulit, inibique genuflexus sese illi humiliter commendavit, & momento temporis sanus factus est, ad idem Altare fulchris relictis, nulloque auxilio propriis pedibus domum se confert, & in posterum sanus vivit.

## SUMMARIUM.

- 1 Instantaneæ sanationes naturaliter non sunt in morbis longis, sed tantum in Acutis.
- 2 Crisis est subitus motus in morbis, & mutatio ad salutem, vel ad mortem.
- 3 Sanationes instantaneæ, ut miraculose judicentur, quas conditiones requirant.
- 4 Infirmi percutunt in instanti sine crisi, sed non salvantur in instanti absque crisi.
- 5 Crisis si interveniat in morbi sanatione, etiamsi in instanti succedat, sanatio à Natura censenda.
- 6 Crisis est Naturæ motus.
- 7 Sciatica inter Articulares omnes dolores molestior, & contumacior.
- 8 Ex Sciatica Ægrotantes sapissime claudi sunt.
- 9 Vitium ab Ætate proveniens durante ea Ætate tolli non potest.
- 10 Sciatica Vere exacerbatur, aut de novo prehendit.
- 11 Crises sunt ubi calor est vegetus.
- 12 Crisis est Naturæ certamen cum morbo.

Liect in via quoque Naturæ quædam morborum sanationes tam brevi tempore succedant, ut in instanti factæ videantur (licet naturaliter in instanti non fiant, ut voluit Rota in Relat. Canonizat. S. Hia-

cinthi, & S. Andreæ Corsini mirac. 1. & 2. cum ibi allegatis) & ob id miraculose existimentur, certum tamen est non indifferenter in quibuscunque morbis tam longis, inquam, quam Acutis, sed in Acutis potissimum secundum Naturæ ordinem tales subitaneas, ac celerrimas sanationes contingere, ac tunc quidem non sine manifesta aliqua Crisi motum, & virtutem ipsius Naturæ commonstrante: cum enim in acutis morbis prædominantur semper, aut saltem secundum plurimum calidi, & tenues etiam quandoque humores, & subitaneæ sanationes non possunt fieri nisi mediante aliqua Crisi, ut videbimus, quæ est subitus motus, & mutatio in morbo ad sanitatem, si bona sit, si mala ad mortem, Gal. comm. 2. Apher. 13. certum est huic tam repentinæ mutationi non esse de se apud materiam frigidam, ac crassam, ex qua morbi longi dependent, ut tenuis, & calida est, ex qua dependent Acuti, quemadmodum insinuat ab eodem Gal. lib. 2. de Crisib. cap. 11.

Verum enim vero licet subitaneæ mutationes in morbis longis ut plurimum non contingant, sufficit tamen ad excludendum miraculum etiam quod de raro, immo rarissime succederent, ut succedere aliquando posse, cum per Crises judicantur, ostendit Gal. lib. 2. de Diab. decret. cap. 5. quamobrem difficilimum ob id esset naturales sanationes subitaneas

nientes à miraculosis distinguere, nisi duæ de necessitate Naturæ in naturalibus conditiones concurrerent, quarum beneficio hæc ab illis interno scantur. Prima autem conditio est, quod insantionibus instantaneis, quæ Naturæ ope contingunt, semper præcedat Crisi; nam infirmi possunt quidem de repente, & in instanti deficere absque Crisi, sed nullo modo sanari in instanti absque Crisi, verba sunt ipsius Galeni lib. 3. de Crisib. cap. 9. Vbi ergo in sanatione Crisi interveniat, ea etiam in instanti succedens naturalis censenda, quantum est ex hoc, quia nihil aliud Crisi est, quam ipsius Naturæ motus, ut Galenus ubi proxime docet.

Alteræ conditio est (& habet, multo magis locum in morbis Chronicis seu longis) ut Crisi facta in via Naturæ semper sit cum aliqua manifesta, & insigni excretionem, ut demonstratum est à Galeno lib. 2. de Diab. 5. decret. cap. 5. quæ conditionem maxime requirit in sanatione miraculosa, nempe ut succedat absque ulla insigni evacuatione dixi alias lib. 4. cit. Quæst. Medicæ Legul. tit. 1. q. 8. nu. 13. nam semper è contra judicanda ex Naturæ virtute successa, si per insignem aliquam evacuationem contingat, nisi evidenter aliunde constet etiam hoc pacto eveniente ex supernaturali virtute procedere.

His positis supponitur jam in casu nostro subitaneæ quædam sanatio cujusdam morbi Chronici, seu longi, & difficilissimi, absque ulla apparente Crisi successa, nullaque succedente insigni evacuatione, quare determinari jure posset, eam ex supernaturali virtute evenisse; quod ut magis magisque palam fiat, videtur de necessitate examinanda morbi qui sanatus est, natura, & status, ac modus deinceps, quo sanatus est. Et quoad primum certum est, quod Carpentarius hic patiebatur dolorem Ichiadicum, aut Coxendicum dictum, qui à Barbaris vocatur sciatica, & quem Chronicum, ac longum pluries testatus est Hippocr. & præcipue lib. de intern. aff. prope finem part. 58. ubi morbum esse gravem, ac diuturnum firmavit, & lib. 2. Prædict. part. 45. ubi in senioribus vix per annum solere sanari docuit, & idipsum cæteri Medici unanimiter fatentur, unde tam Areæus lib. 2. de cur. tard. pass. cap. 12. quam Cæl. Aurel. Chron. lib. 5. cap. 2. eum inter diuturnas affectiones adnumerant, quod multo evidentiùs ipsa experientia commonstrat: nam inter omnes Articulares morbos, qui & longi omnes ex sua natura, & curatu sunt difficilissimi, ut Medicis est notissimum, & adnotavit etiam Rota in Relat. Canonizat. B. Andr. Cos. mirac. 2. doloris acerbitate, afflictione diuturnitate, sanationis difficultate, & recidivæ promptitudine molestissimus est sciaticus dolor, ita attestantibus Medicis omnibus. Cels. sua Med. lib. 4. cap. 22. Avic. 12. 3. tract. 2. cap. 5. Fernell. lib. 6. Patholog. cap. 18. non una vero ex causis dependet tanta ejus morbi contumacia, tanta dolorum molestia, ac tam longa Ægrotitudinis afflictio, ut prosequitur Avic. ubi proxime. Nam primo Articuli patientis magnitudo in causa est, ut materia promptius, & quantitate copiosius ad illum descendat. Secundo magnorum ligamentorum, aliorumque vasorum multitudo dolorem facit acerbiorum, ex dolore autem majore major sequitur attractio, & ex majore attractione major dolor, & sic quasi perpetuo circulo una causa per aliam fovetur, unde fit, ut in hujusmodi doloribus afferente Avic. loco cit. fiat effusio materiæ deluper ex toto corpore ad ipsam patientem particulam. Tertio dolentis Ar-

ticuli profunditas impedit penetrationem omnem medicamentorum tam eorum, quæ ad levandum dolorem, aut ad materiæ resolutionem, vel concoctionem exterius adhibentur, quam eorum, quæ ad purganda quomodocunque eam ipsam materiam interius assumuntur. His absque nonnullis ex causis simul concurrentibus, non mirum est, si morbus, hic non solum ex sua natura sit curatu difficilis, sed etiam multoties insanabilis, quod Medici satis norunt, & non desit adnotare Rota in Relat. Canonizat. B. Paterni mirac. 2. post mortem; quia læpissime ex eo ægrotantes claudi sunt, ita attestant Hippocr. lib. 1. de morb. num. 31. & in lib. de intern. aff. num. 54. & 58. & lib. 6. Apher. ult. quod nostro huic ægrotanti evenit. Multo minus mirandum est eum tot difficultatibus ex ipsa natura provenientibus adjungitur patientis ætatis senilis, tunc enim desperata omnino res est, quia eum hujusmodi dolores senibus sint familiares, & senectutis maxime vitio contingant, ut idem Hippocr. lib. 3. Apher. ult. & Galen. lib. 5. de sanit. tuend. cap. 8. docent, jam patet, quod vitium ab ætate perveniens durante ea ætate tolli non potest, quia causa illud fovens non solum non est amovibilis, sed indies vires acquirit, unde prudenter Galen. Comm. 1. Apher. 40. dicebat, Arthritidem, & Nephritidem ex eorum morborum numero esse qui senes comitantur usque ad mortem, quod multo magis habet locum in hac Arthritidis specie, nempe in sciatica, habet enim hæc inter alias hoc peculiare, ut facillime revertatur. Avic. ubi alias, cap. 5. sciatica, inquit, & Podagra cum curantur & eradicanitur earum materiæ, sunt ex eis, quæ redeant qualibet ex causa; hoc est, etiamsi ex toto curentur, ita ut ab radice humores eas producentes evellantur, levi tamen negotio, ac facillime reversionem faciunt. Non modo ergo morbus hic difficilis curatu est respectu accessionum particularium, sed etiam respectu recidivæ, & præcipue in senibus, quos ad mortem usque concomitari mox ex Galeno dictum est.

Erat ergo morbus, quo Carpentarius hic detinebatur diuturnus, molestus, & contumax non solum respectu sui ipsius, sed respectu etiam sui progressus, & respectu ætatis ipsius patientis, quæ senilis erat; agebat enim Blasius tunc annum octavum supra quinquagesimum, ut deponit secundum Testis super 44. in summ. num. 1. His addebatur temporis conditio, in quo sanatus est, cum adhuc vigeret hyems, aut saltem instaret ver, nam circa Quadragesimam sanatus est, ut deponit idem Testis ibidem. In his vero temporibus hujusmodi morbi tantum abest, ut sanari soleant, quin potius, aut de novo tunc præhendunt, aut jam facti exacerbantur, ut peculiariter de vere testatur Hippocr. lib. 3. Apher. & ibi Gal. in comm. & lib. 6. Apher. 55. Cels. lib. 4. c. ult. & Avic. ubi alias. & facit Rota in Relat. Canonizat. B. Felicis à Casalicio, tit. de Mirac. miraculof. si quæ ergo instantanea sanatio in tam difficili morbo successerit, ut successisse probatur ex testium depositionibus in summ. num. 1. nequaquam persuaderi possumus, Naturam quicquam in ea sanatione operatam fuisse; primo quia nulla in hac sanatione Crisi successit, ut de necessitate debere succedere in subitis sanationibus probavimus. Secundo, quia nulla facta est insignis excretio, nullisque apparuit motus, qui Naturam operalem commonstrare poterit. Nam quod nulla successerit Crisi probatur primo ex Natura morbi, qui cum diuturnus, ac chronicus

nicus sit, non solet per Crisim iudicari; ut jam superius annimus: licet enim non desit aliquis morbus diuturnus, qui aliquando per Crisim iudicatur, certe Arthritis ex his non est, & maxime Isthias, sciatica, tum propter materiae conditionem, quæ morbum excitat, tum propter particulæ patientis naturam, quæ calore destituitur; At Crises sunt ubi vegetus est calor. Galen. *de Crisib. lib. 2. cap. 11.* tum propter alias causas. Probatur secundo, quia cum Crisim sit naturæ certamen cum morbo, in eo sunt motus vehementes, & conspicui, qui latere non possunt, unde, tales motus plura signa necessario præcedunt, ut prosequitur id Galenus *ibid. lib. 1.* Cum igitur nihil constet de hoc in casu nostro, sed potius de contrario, quia is motus vehemens, si præcessisset, & hæc pugna cum morbo à natura facta plurimum ægrum excitasset, & coëgisset etiam decumbere, dicendum est nullam in hac sana-

tionem intervenisse Crisim. Quod autem nulla successerit insignis evacuatio manifestum est, cum Blasius à concepto voto in ipsa Ecclesia illico sanus evaserit; nec verisimile sit ibi, Similem aliquam execrationem successisse, de qua examinati Testes omnino tacuerint. Et ut magis innotescat, Blasium absque ulla Naturæ ope & supra omnes Naturæ creatæ vires sanum fuisse factum, non solum sanatur in instanti ex morbo, qui alias à Natura non nisi longissimo temporis intervallo vix sanari, & ne vix quidem potest, & liber ab eo omni ex parte evadit, nullo relicto morbi vestigio, sed in posterum etiam sanus per multos annos vivit, ut Testes deponunt; contra quam Natura ipsius morbi ferat, & maxime in senibus, in quibus vel levissima ex causa, ac de se reverentem facere convenit, ut superius jam firmatum est.

## CONSILIVM VI.

## ARGUMENTVM.

Affligebatur soror Cæcilia Morosina anno ætatis suæ quinquagesimo tertio febrili cum catarrho, à qua in acerbissimum dolorem Coxendicium, seu sciaticum (uterque enim similis est) lapsa est cum stupore, & motus impotentia sinistri cruris, quæ tamen invocatione B. Laurentii Iustiniani, & ejus sanctissimi corporis mensuræ applicatione illico à dolore libera remanet, ac deinceps brevi integre etiam à febre sanatur.

## SUMMARIUM.

1. Deus servos suos in peculiari aliquo miraculorum genere magis, quam in alio interdum illustrat.
2. Sciatica inter articulares morbos est omnium molestissima.
3. Morbum fieri per decubitum quando dicitur.
4. Abscessus per decubitum sunt in parte omnium maxime debili.
5. In ætate senilis dolores coxendici sunt maxime diuturni.
6. Ad celeres sanationes quæ conditiones requirantur ex parte nature.
7. Sanatio instantanea in morbis diuturnis Naturæ repugnat.
8. Satis est ad Miraculi evidentiam, ut sanatio urgentioris morbi sit instantanea, licet remaneant alia morbi accidentia.

In omni effectuum genere, qui supra naturæ creatæ vires fieri possunt D. O. M. mirabilem se præstat in sanctis suis, sed aliquando eos in peculiari aliquo miraculorum genere illustrat, atque uni quidem Prophetie donum, alteri potestatem ejiciendi Dæmonia, huic occultas hominum cogitationes cognoscendi, illi vero gratiam visionum beatificarum, alteri item sanandi languores, neque virtutes omnes omnibus semper, sed peculiare peculiari servo suo aliquando impertitur. Itaque fit, ut unius servi Dei invocationem ad febres pellendas, illius ad puerperas levandas, ad Epilepticos sanandos, ad aliosque particularis generis morbos edomandos valere comperiamus. Beatissimi servi Dei Laurentii Iustiniani invocationem ad dolores, & morbos Articularum, nervosorum partium desperatos efficacem esse, jam non uno, aut altero, sed multiplici miraculo D. O. M. comprobavit. sic factum apparet in Moniali, cui fororis Lucie no-

men erat, nodosa Arthritide laborante, in Blasco Carpentario ex molestissima sciatica claudicante, in Dominico Maphæo savissimo Tetano detento, in sorore Antonia universali stupore oppressa, & in aliis, ac peculiari modo in casu, qui offertur hujus Reverendæ Monialis acerbissimo Coxendicis dolore conflictatæ; qui omnes cum neque ab Arte, neque à Natura quicquam adjumenti viis ærumnis expectare possent, hujus servi Dei invocatione sanati sunt; cum vero de plerisque jam nonnulla dicta sint in prioribus positionibus, restat nunc ut de hoc casu aliquid dicamus, ut non secus ac alios miraculose & ipsum contigisse non ex Artis aut Naturæ ope firmis rationibus comprobemus.

Jam vero alias dictum ac concludenter probatum est, sciaticæ morbum inter Articulares affectus esse omnium molestissimum, solum contumacissimum, ac præ omnibus facile recidivam facientem. Cels. *lib. 4. sive Med. cap. 22.* Avic. *2.2. 3. tract. 2. cap. 5.* & alii. Præter naturalem autem sanationis difficultatem, quam hic morbus sortitur, equidem sciatica, qua Reverendæ hæc Monialis opprimebatur, habebat quædam aggravantes conditiones, ex quarum conjunctione multo gravior, molestior, & contumacior, quam ex sua natura sit, facile evadere, quarum prima erat, quod evenerat ab alio prægresso morbo per materiae decubitum. Secunda quod materia erat copia multa & qualitate frigida. Tertia quod anni tempus morbum mirum in modum forebat. Quarta quod ætas patientis huic morbo & generando & fovendo, erat maxime idonea.

Et ut à prima conditione incipiamus, & quid ea ad rem nostram importet ostendamus, sciendum, Medicos tunc firmare, morbum fieri per decubitum, cum morbifica materia ab una parte in aliam transmittitur. Galen. *lib. 2. de Art. cm. ad Glauc. c. 7.* Nominant autem, inquit, hujusmodi dispositiones (hoc est, Decubitus seu Apoptemata) cum qui prius

prius unum membrum infestant humores, eo relicto, ad alterum transunt. Id vero tunc evenit cum pars expellens, ac se exonerans est fortis, recipiens autem omnium, quæ in corpore sunt maxime debilis: nam omnes corporis partes, cum in suo robore sunt, expellunt à se superflua ac noxia, quousque extra corpus protrudantur, vel ad unam partem perventum fuerit, quæ præ debilitate impotens sit à se ea depellere, quod millies explicatum ab eodem Galeno est; & signanter in Method. *med. libb. in lib. de sympt. causis. & de cur. rat. per sang. mission. & alibi.* Cum ergo materia in parte debili firmata fuerit, inibi causat morbum, ac tunc dicitur is morbus factus per decubitum, parte, quæ antea laboraverat à morbo exonerata, ut in hoc casu, in quo cum hæc Religiosa caput multa pituita oppletum haberet, quæ excalescens febrem quoque excitaverat, Natura volens se ab ea superflua, ac noxia materia exonerare, eam ad propinquiores partes repulit, & hæc quidem ad viciniores, quousque ad magnum articulum ossis Scie perventum est, qui cum esset, quancumque ex causa maxime debilis, non potuit, ut alia partes effecerant, eam à se repellere, & sic dolor ibi generatus est acerbus, qualis ex sciatica causari solet; quæ omnia non solum ex rationabili discursu, sed ex ipsa Patientis depositione habentur in summ. *num. 1. ibi. Merve me insieme un catarro, che mi cominciò della Testa, & mi calò dalla banda sinistra, pigliandomi tutto il fianco, & la gamba.* & mi parve, ch' allora mi calasse un acqua fredda, che mi tolse interamente la forza di poter muovere tutta quella banda.

4. Cum ergo Abscessus per decubitum fiant in parte omnium, quæ sunt in corpore maxime debili, ut superius firmavimus, certe hinc manifestissima fit insufficientia, & omnimoda impotentia ejus partis ad talem morbum aliquo modo superandum; cum morbus superari non possit, nisi à validiori partium virtute, ac robore, ut notissimum est. quod si huic adscititæ, ac accidentariae debilitati conjungatur naturalis ipsius partis debilitas, eo quod minimo calore detetur, ut est Articulus, & infimus ineptitudo ad remedia excipienda, ut præcipue inter omnes Articulus est Articulus ossis Scie, certe morbum, qui sic fiat, habere omnimodam suæ sanationis repugnantiam in via Naturæ firmandum est, cum tam Arti, quam ipsi Naturæ omnis præcisa via sit tales morbos superandi.

Sed adauget majorem multo in modum prædictam repugnantiam, materiae morbum excitantis multitudo, & qualitas; quanto enim major materiae copia partem affectam obsidet, & quanto frigidior ea est; tanto magis repugnat, morbum à calore debili posse naturaliter sanari. Quod vero in casu nostro materia esset multa, & frigida patet; nam multa erat, quia non solum causabat dolorem, sed impediabat sensum & motum; multa erat, quia tempus anni eam copiosiore reddebat, cum esset autumnale, in quo plurima excrementa aggregantur præterquam quod ætas ipse eam copiosiore reddebat; multa erat, quia non modo occupabat articulum, sed vicinas etiam partes omnes; erat insuper frigida, quod ad sensum patebat, unde eadem soror Cæcilia id fateatur ibi: *Et mi pare, ch' allora mi calasse un acqua fredda &c.* Præterea idem Anni tempus aggravabat morbum, & majorem in modum sanationem impediabat, cum morbus hic ex sua natura frigidus in parte frigida cum multa frigidae materiae copia ab Anni tempore frigido non nisi

summpere foveri & adaugeri debuisset. Quibus omnibus addebatur ætas Patientis jam gravis, cum annum ageret tertium supra quinquagesimum, qua ætate dolores coxendicos, & sciaticos maxime esse diuturnos, & vix per annum sanari dicebat Hippocr. *lib. 2. prædict. m. 45.* quod multo magis ex ejus sententia habet locum, ubi torpores, & refrigerationes tum Lumborum, tum Crurum fiunt; ut in casu nostro, in quo non modo os Scie, sed etiam lumbos, & totum crus sinistrum dolor, ac torpor, & impotentia ad motum prebendebat, ut ipsamet soror Cæcilia deponit ibi. *Et mi calò dalla banda sinistra, pigliandomi tutto il fianco, & la gamba.* Atque hæc quidem omnia simul concurrentia (licet unumquodlibet per se idem operari possent) faciiebant omnimodam sanationis repugnantiam in via Naturæ. Quod si concedere velimus, his non obstantibus, Naturam utrumque aliquid machinari potuisse circa hujus morbi sanationem, certe eadem conditiones, quæ tantopere morbum graviores reddebant, & contumaciorum, non permittebant illo modo, ut Natura subitaneam hujus morbi discussionem moliri posset, siquidem ad hujusmodi non instantaneas dicam, ut hæc fuit, sed ad celeres morborum sanationes requiritur ex parte Naturæ calor fortis, pars affecta vegeta, ac valida, materia morbum faciens non multa, neque crassa, qualitas calida, tempus morbo contrarium, ætas juvenilis aut saltem consistens, hæc enim omnia simul concurrentia, aut saltem eorum plura, celeres motus in morbis faciunt, unde celeres sequuntur sanationes; at contrariis conditionibus militantibus non solum fieri non possunt celeres hujusmodi motus, & consequenter neque celeres sanationes, sed impeditur omnino quicunque motus Naturæ, aut si forte aliquis fiat, is quidem non nisi temporis diuturnitate succedit, ut docet Galen. multis in locis, ac præcipue in libb. *de Crisib. & comm. 3. in Hippocr. Prognost. part. 24.* Et ideo cum repugnet omnino Naturæ morborum diuturnorum instantanea sanatio, & in hoc casu ad invocationem B. Laurentii immediate post applicationem mensuræ ejus corporis ea fuerit secuta, non ex Naturæ ope, sed ex supernaturali virtute eam successisse asseverandum, quod non desistit etiam ponderare Medicus, qui Reverendæ hujus Monialis curam gerebat; cum judicaret enim hoc fuisse undecunque miraculosum, non aliam suæ assertionis causam attulit, quod non poterat si morbus in via Naturæ tam brevi temporis spatio superari, ut deponit *super. 61. in summ. num. 9. ibid. Pocho secondo il mio giudizio quel male non doveva guarire, ne si doveva levare si presto.*

Nihil denique obstare videtur, si post principalis morbi curationem, remanserint aliqua consequentia morbum, nec ægra tam subito ab iis levata sit; satis enim est, si morbi malitia, & acerbitas ad servi Dei invocationem, & immediate post applicationem mensuræ ejus beatissimi corporis, atque in instanti remiserit, ut in similibus dixit Rota in Relatione *Casim. sanili Caroli par. 1. mirac. 13.* ut in aliis Relationibus alias. Quod vero acerbissimus ac molestissimus ille dolor illico ab applicatione prædictæ mensuræ corporis B. Laurentii cessaverit, probatur ex dictis Testium. *Ostavus super. 61. Et subito mi acquetai, & mi addormentai fino alle none hore. &c.* Vigessimus nonus super eodem. *La trovai improvvisamente in buon stato, & Nonus super eodem ex dicto ipsius Patientis. Et mi è passata subito la doglia.*

gla. Et Decimus super eodem ex dicto quoque ipsius Patientis. *dicendum subito messa quella misera, mi*

*sono addormentata; & concordant alii omnes nemine excepto.*

## CONSILIUM VII.

## ARGUMENTVM.

Detinebatur Ioannes Picatus Crurum OEdematoso tumore perpetuo cum ulcere, & jam per quatuordecim annos eo morbo confictatus fuerat, cum ope B. Laurentii Iustiniani implorata brevi integrum consequitur sanitatem.

## SUMMARIUM.

- 1 Tumor OEdematofus qui vocetur.
- 2 Hydrops fieri non potest nisi vitio Hepate.
- 3 Intemperies omnes praesertim insignes, virtutem deiciunt.
- 4 Natura repugnante omnia irrita.
- 5 Ars Naturae ministra, & Medicus ipsius Artis, seu ipsius Naturae minister.
- 6 Morbi longi non possunt naturaliter nisi paulatim & longo temporis intervallo superari.

Tumor, quem in cruribus patiebatur hic Ioannes Picatus, de cuius miraculosa sanatione modo agitur, erat OEdematofus: vocant autem Medici Tumorem OEdematofum illum, qui a materia frigida, & humida, pituitosa nempe generari solet. Eius vero naturae fuisse satis superque demonstrat & qualitas, & quantitas materiae tumorem producentis, praeter aliam, quae ab eo per ulculculum aliquando expurgabatur: erat enim aquosa, & quantitate multa, ut deponit Testis vigesimus nonus super decimo in summ. num. 2. *ibid.* Potest esse solitudo usque grandae aquae da quella gamba, &c. horum enim utrumque proprium est Materiae frigidae; praeterquam quod & morbi diurnitas, & gravitas, & impotentia ad motum id ipsum apertissime significabant, cum diurni morbi fiant ab humoribus frigidis Gal. lib. 4. Aphor. 44. & materia frigida ob sui crassitatem gravitatem in parte faciat.

Licet tamen huiusmodi Tumor ex se ipso molestus admodum esset, ita ut vitae taedium aegrotanti inferret, non ita tamen gravis morbus ex sua natura erat, quin multo gravioris, & difficilioris morbi germen esset: non enim ejus morbi causa ab ipso crurum vitio dependebat, sed multo nobilioris partis vitium subesse in corpore ostendebat, nempe Hepatis, quippe cum OEdematofus tumores maxime si insignes sint, ex imbecillitate, & defectu sanguificatricis facultatis ipsius Hepatis generentur: cum enim vitium hoc praeter calorem debilitate non possit totam Chylifam materiam ad ipsum transmissam in perfectum sanguinem convertere, remanet ejus portio aliqua semicotta, quae ad debiliores partes tanquam nutritioni non apta transmissa tumores hujus generis OEdematofos excitat, ut in casu nostro factum est; in quo cum omnes inferiores partes tumescerent, & maxime insigniter sinistra, apparet hanc affectionem fuisse quandam Hydropsis speciem, ejus nempe, quae Anasarca nominatur, in qua ut plurimum totum corpus, interdum tamen solummodo inferiores partes tumescant. Eius rei unum, aut alterum evidentissimum signum ex Testium dictis elici potest; tumefactio scilicet crurum perpetua, & maxime aegro stante, aut ambulante, & tarditas, ac impotentia ad progressionem, quorum utrumque ab Auctoribus ponitur pro signo hujus

affectionis; & de priori quidem Aretaeus lib. 1. de causis, diuturn. pass. cap. 6. his verbis stantibus pedes, tibique intumescunt, de posteriori vero Cal. Aurel. lib. 3. Chron. cap. 7. Debilitate tardus, inquit, ac piger corporis motus cum in statione inani. Ac utrumque hoc symptoma in nostro aegrotante adfuisse manifestum est & de posteriori Testes omnes in summ. nu. 2. unanimiter deponunt. Ipse Ioannes Testis 27. supr. 10. Et adesto camino liberamente, dove prima poteva a pena mover mi, & camminare per due, & tre Credi, che bisognava, che mi sedessi, & 33. super eodem, e stentava assai fino a camminare, & 34. super eodem. Et quando gli conveniva venire giù in bottega, veniva giù con le croce. De priori vero. 29. super deci loco ibi Ogri vola, che gli si levava in piedi, se gli gonfiava la gamba.

Constituta ergo jam vera hujus morbi Idea, facile erit nunc determinare, an ejus morbi sanatio successa immediate post invocationem B. Laurentii, miraculosa fuerit, nec ne. Ac videtur dicendum firmiterque asseverandum, eam miraculosam fuisse, tum quia sanatio ejus morbi superabat Naturae creatae vires, tum etiam quia modus sanationis fuit undequaque supernaturalis, & extra Naturae ordinem. Quadruplici autem ex capite sanatio hujus morbi superabat Naturae vires; & primo respectu remotionis causae morbificae, & correctione partis emandantis. Secundo respectu partis recipientis. Tertio respectu diurnitatis, & confirmationis ipsius morbi. Quarto respectu debilitatis ipsius particularis Naturae aegrotantis, quae neque ope Medica adjuvata per tam longum temporis spatium tantisper resurgere valuit.

Et quoad primum caput norunt Medici, nullos Hydropses fieri posse, nisi vitio Hepate. Gal. lib. 6. de loc. aff. cap. 7. & DD. omnes ubi de Hydropse verba faciunt inno non solum Hydrops, sed neque simplex OEdematofus Tumor, si confirmatus sit, absque Hepatis vitio procreatur. Gal. lib. 3. de sympt. causis. cap. 2. Cum ergo hic adesset insignis Tumor OEdematofus, certe ejus causa a frigida Hepatis intemperie, & ab imminuto calore originem traheret; tales enim Hydropses, atque huiusmodi Tumores ab huiusmodi intemperie fieri docent Gal. loco cit. de loc. aff. & cum eo DD. omnes. Ergo ad hunc morbum sanandum, & ad remotionem causae morbificae necesse erat, hanc Hepatis intemperiem ad contrarium reducere, quod duplici ex capite erat impossibile; primo quia vires ipsius particulae patientis erant invalidae, & calor ipsius maxime debilis; id enim habent proprium omnes intemperies cum insignes sunt, qualis haec erat, ut virtutem summopere debilitent. Gal. cit. lib. 3. de sympt. causis. cap. 1. At si in principio contracta hujus intemperiei Natura non potuit eam superare, quid sperandum ab ejus ope erat post tot annos elapsos? secundo

eundo, quia intemperies haec jam erat confirmata, & in habitu, ac connaturalis evaserat; cum enim Natura non potest in principio partium intemperies emendare, sed indes augetur, paulatim illis affuecit, & sic illas sibi connaturales facit, easque in posterum mutare non minus impossibile est, quam Naturam ipsam, aut quodcumque a Natura irreperens vitium.

Quoad secundum caput non est, quod longioribus immoremur; erant enim partes recipientes humores illos crudos, & excrementitios, Hepatis vitio generatos, omnium corporis partium infimae, decliviores, & natura frigidiores: quod enim essent infimae, commonstrat ipsas promptissime recipere ab universis partibus superioribus, ex eo quod essent declives, eveniebat, ut difficillime, immo nullo modo jam receptos humores ad alias partes remittere possent, ex eo quod essent frigidae, evidenter succedebat, ipsas receptos humores neque concocquere, neque resolvere, neque ullo modo exasperare posse. Et licet aliqua dictorum humorum copia per ulculculum expurgaretur, semper tamen remanebat fomentum ab interno vitio, ex quo perenniter novae materiae generabantur ad ipsas partes affectas transmittendae. Hepar enim tanquam perennis fons ex assumptis ob contractam frigiditatem, seu potius ob caloris pauperiem, novos humores excrementitios procreabat, neque fieri poterat, ut desineret per aliquod tempus procreare, nisi ad pristinum statum reduceretur, quod erat omnino in via Naturae impossibile. Quamdiu ergo individuum viveret, & Hepar suo munere fungeretur, tamdiu necessarium erat illud novos humores affectis partibus subministrare, nisi a sanguificatione desisteret, quod non nisi individuo deficiente evenire poterat.

Quoad tertium caput, manifestissimum quoque est, sanationem Naturae vires superasse; quia morbus erat jam in habitu, & per tot annos confirmatus; ad quem exuperandum jam nec fortior calor, nec aetas floridior, nec vires validiores, ne-

que aliud quicquam opem ferre poterat, multo ergo magis desperata res erat, ubi calor erat jam debilis, ubi aetas jam declinans, ubi vires jam languidae; in quo casu sanguis indes frigidior evadebat, & calor imbecillior reddebatur.

Quoad quartum denique caput ex ipsa facti serie elucet Naturae simul & Artis Medicae invaliditas ad ejus morbi sanationem; cum tot annis neque ipsa Natura, neque ipsa Ars tot adhibitis medicamentis per tres insigniores Medicos, quorum fama & scripta ad nos pervenerunt, nihil profecerit: censendum vero est, hos clarissimos Medicos omnem lapidem movisse, ut Aegrum a tam molesto morbo vindicarent, sed incassum omnia, aderat enim nimia, & invincibilis Naturae repugnancia, qua praesente omnia irrita redduntur. Hippocr. in 4. Leg. num. 2. quia Ars est Naturae Ministra, & Medicus ipse Artis minister, vel Naturae. id Hipp. lib. 1. de morb. Popul. section. 2. & notavit etiam ex Legum-peritis Onciac. lib. 2. Colloq. mixta num. 3. qua de causa Medicus semper Naturam imitatur, & licet interdum quoque imo semper coadjuret, non potest tamen quicquam perficere, si adit subiecti inhabilitas ad recipiendam sanitatem.

Quod tandem modus sanationis hujus diuturnissimi morbi fuerit unde quaque supra Naturam, patet, quia cum morbi longi & ob caloris, & Naturae debilitatem, & ob humorum copiam, & qualitatem (sunt enim multi, & frigidus, ut alias ex Gall. dixi) non possint nisi per insignes evacuationes, ac paulatim, & longissimo temporis intervallo naturaliter sanari, hic absque ulla excretionem, & in instanti ab invocatione B. Laurentii remissit, & brevissimo unius hebdomadis spatio integre sanatus est, nulla Arte ope interveniente, ut ex processu patet. quamobrem cum in hoc casu calor naturalis ad pristinum vigorem cum esset jam quasi extinctus, remeaverit, videtur mortui resurrexerit: pene opus hoc aequiparandum.

## CONSILIUM VIII.

## ARGUMENTVM.

Nobilis mulier Veneta Marina Gritti nomine septuagenaria affligebatur jam per plures menses Canceroso quodam pectoris tumore ulcerato, cumque jam in extremo vitae degeret, ope B. Laurentii Iustiniani implorata, in instanti ab omni morbo liberatur, nullo omnino tumoris, aut ulcers vestigio in parte remanente.

## SUMMARIUM.

- 1 In miraculosis sanationibus duo de necessitate concurrere debent ut miraculose vere sint.
- 2 Cancerosi tumoris signa.
- 3 Cancer ejus Naturae morbus, ut nunquam sanescat.
- 4 Natura morbos superat concoquendo.
- 5 Impossibile naturaliter est ex soluta unitate non remanere vestigium in carne.
- 6 Miracula aut sunt praeter Naturam, aut contra Naturam, aut supra Naturam.

Tot conditiones in proposito casu concurrunt, manifestissime declarantes sanationem hanc supra Naturae vires undequaque fuisse, ut supra-

caneum videri facile possit, hoc pluribus rationibus corroborare; tamen breviter hic nonnulla deducam, ut miraculi evidentiam majorem in modum eluceat. Duo igitur mihi maxime videntur in hoc casu ad miraculi efficientiam considerari posse, quae praecipue in omni sanatione, quae miraculosa iudicanda sit, ex necessitate concurrere debent, de quibus etiam in superioribus actum est. Ac primum est repugnancia omnimoda sanationis ex parte ipsius tam Naturae, quam Artis. Secundum modus ipsius sanationis omni ex parte supernaturalis. Repugnancia namque sanationis quoad Naturam, vel Artem non solum manifestissima est ex parte morbi, sed etiam ex parte Patientis, & praeterea ex parte multarum conditionum morbum ipsum concomitantium.

Et primo repugnantia ex parte morbi apparet, examinando naturam, & essentiam ipsius morbi: erat enim Tumor Cancerosus cum ulcere in pectore; ut ex signis ab omnibus testibus unanimiter allatis satis patet: nam Tumor hic erat magnus ad instar fatis gallinacei, colore livens ac nigricans, visu horridus, cum dolore perenni ac perneccabili, tactu maxime durus; quæ omnia signa convenient cum iis, quæ ab Auctoribus pro signis diagnosticis cancri apostematosi afferuntur. Gal. lib. 2. de Art. cur. ad Glaucon. cap. 5. Celsi. 1. 5. sue med. cap. 38. Paul. sue med. lib. 4. cap. 26. Aet. Terrabil. ferm. 16. cap. 43. Rafis. 27. Conrin. tract. 3. cap. 1. Avicenn. 3. 4. tract. 2. cap. 15. Ioan. de Vigo. lib. 2. sue Chirurg. tract. 4. cap. 3. Paracelsus. oper. lib. 6. cap. 26. Tagauro. Inst. Chirurg. lib. 1. cap. 15. Foresti. lib. 4. Observat. 5. & alii. Licet ergo testes deponant de Gangræna, eo quod eorum nullus medicorum nominum proprietatem callere poterit, vere tamen ex signis ab ipsismet allatis, & descriptione ejus tumoris ab ipsis diligenter facta, nullus erit ex Medicis qui in hoc hæsitaverit, unde decernendum absque ullo dubio est, tumorem illum fuisse apostema cancerosum; neque enim allata signa Gangræne convenire possunt, neque remedia à Medicis præscripta, ex arte præscripta viderentur; aliam namque omnino curam requirebat Gangræna ab ea admodum diversam, qua Medici uti sunt; præterquam quod Gangræna non poterat ad plures menses absque vicinarum partium sphacelo, & corruptione, corrupta prius ipsa patiente particula, perdurare, cum Gangræna principium sit, & via in corruptionem Gal. ubi supra cap. 5. & cæteri omnes. Cum ergo pateat, morbum hunc fuisse cancrum apostematosum, jam patet infirma sanationis ipsius impossibilitas, & repugnantia in via Naturæ: cancrum enim hujusmodi naturæ morbus est, ut nunquam consanescat, & quamquam Galen. comm. 4. Aphor. 24. dicit, cancrum in summa parte consistentem aut cum difficultate sanabilem, aut omnino insanabilem esse; tamen absolute cancrum jam accrescentes, qualis hic erat in insignem tumorem sublatus, insanabiles absque ulla hæsitantia esse, notissimum est, facit ipse Galen. lib. 2. de Art. cur. ad Glaucon. cap. 10. & multo clarius Pauli auctoritas, ubi supra, cujus verba hæc sunt. Hoc malum, inquit, plane propter succi crassitiam non consanescit, utpote, quod nec repelli, nec discuti queat, nec totius corporis purgationi cedat, vel quod etiam mitiora negligat remedia, vehementioribus autem irritetur, & excandescat. Sed speciatim Aetius lico cit. cap. seq. de cauro in pectore verba faciens, Cancros, inquit, in pectore obortos omnino deploratos esse scito. Neque idem Galenus id inficiatur, cum loco cit. de Art. curat. solos incipientes cancrum sanasse se aliquando fateatur, jam auctos autem nunquam.

Non dispar sanationis repugnantia considerari potest ex parte subjecti Egrotantis; erat enim hæc infirma septuagenaria, viribus destituta ac omnino à prægresso morbo dejectis, cum jam per multos dies febribus, doloribus, vigiliis, inappetentia, & mille aliis symptomatibus fuisset confictata, ut deponunt testes, & præcipue 26. supra 45. in summ. num. 1. jam vero ad extremum quoque ventum erat, quia nihil per plures jam dies assumpserat; quinimo, & loquela, & voce erat destituta, ut concordant idem testes 26. super eodem & 32. super eodem in summ. ibid. Non modo ergo repugnabat,

Egram sic constitutam morbum tam pertinacem, & rebellem, imo de sua natura insuperabilem superare, cum neque integris viribus alias superari potuisset, verum etiam repugnabat, eam superare posse quemcumque vel mediocrem, & multo mitiorem morbum; quippe cum Natura morbos superet concoquendo, concoctio vero fiat per calorem, aut simpliciter fortem, aut saltem respectu morbi concoquendi, At in nostra Egrotante calor non solum non erat fortis, sed in extremo debilitatis, & respectu sui ipsius, & multo magis respectu morbi, nempe cancerosi illius apostematis, quod cum originem habeat à materia crassa, & melancholica, ut Galenus, Celsus, Aetius, Rafis, Avicenna, & cæteri omnes uno e fatentur, hæc coctionem non admittit, ut iidem DD. profectuntur, & ut ipsa tumoris essentia commoustrat; erat enim maxime durus, at duri hujusmodi tumores ab Hippocrate, teste Gal. comm. 5. Aphor. 67. pravi, & crudi ea de causa vocantur, nempe quia rebelles sunt coctioni.

Sed & præter commemorata multa insuper aliæ conditiones reddebant hunc morbum incurabilem, ac deploratum, & manifestissime repugnantiam sanationis ex parte Naturæ ostendebant, ut quod hic tam malignus tumor ad febrem esse subsessus, faciente Natura abscessum, & demandante peccantem materiam ad externas corporis partes non ob sui robur, & virtutem, sed ob malignorum humorum stimulum; quæ Naturæ indicationes quam exitiales sint, & qualem, ac quantum secum afferant calamitatem, & quam pessime semper terminari soleant, præter quotidianam experientiam ex Hippocrate, & Galeni aliorumque DD. decretis offendit Prosper Alpin. de Præseq. vit. & morb. lib. 7. cap. ult. His adde partis humorum excipientis naturam, hoc est pectus, in quo Cor vitæ & caloris fons situatur: hujusmodi vero abscessus quantocius sunt propinquiores tanto, ob eorum malignitatem sunt pejores. Alpin. ubi proxime, jam autem ex Aetii dicto patet, eos tumores in pectore deploratos esse. Neque tandem desunt aliæ conditiones ita morbum aggravantes, ut illum undequaque in via Naturæ incurabilem redderent, quas brevitate causa considerare pro nunc superselebo.

Probata igitur repugnantia sanationis hujus morbi ex parte naturæ, reliquum est, ut sanatio successa miraculosa fuerit, quomodoque tandem successerit; sed ultra prædictam repugnantiam etiam modus sanationis toto genere supra Naturam idem apertissime commoustrat. successit enim sanatio primo absque ullis mediis naturalibus; succedit secundo in momento, in instanti, ac tertio denique sanatio succedit perfectissima non relinquendo vestigium prægressi morbi, ut relinquere naturaliter debuisset. Et quoad primum patet, quia Medicus sciens hujusmodi tumores non esse remediis irritandos, & inanem esse, ut patet ex Pauli auctoritate, in iis medendis omnem operam medentis, usus est cura, quam Palliativam vocant, præscribens oleum anodinum, seu mitigatorium ad dolorem tantummodo mulcendum; nam alias quid prodesse poterat oleum liliorum alborum ad concoquendum, aut dissolvendum Tumorem renitentem, durum, ac cancerosum? Itaque cum hoc non sit remedium morbo sanando proportionatum, & reliqua non sint administrata, sequitur, quod sanatio successerit absque mediis ab Arte administratis. & quod neque alia media

media naturalia huic curæ intervenierat patet ex iis quæ jam dicta sunt.

Quoad secundum, verificatur ex dicto testium, sanationem fuisse instantaneam, secundum supra 45. in summ. num. 1. subito la Gangrena suavi, non vedendo piu segno, ne effetto alcuno. Et 26. super eodem, ad interrogata. Io medesima un hora prima l'havera medicata, & visto il male, c'haveria, & poi in non subito guarita senza che restasse male alcuno. Concordant etiam circa hanc momentaneam sanationem Testis 22. sup. eodem & 21. sup. eodem in summ. num. eod.

Quoad tertium opus hoc apparuit perfectissimum à superna Dei manu meritis B. Laurentii paratum: non modo enim recedit morbus, & omnia symptomata morbum consequentia in ipso sanationis instanti, sed ne vestigia quidem tumoris, aut Ulceris, quæ semper remanere solent, ulterius apparuerunt, quod admirationem, & miraculum multo magis adauget: naturaliter enim hoc quoque erat impossibile, non remanere scilicet in loco affecto signa ulla tumoris, aut saltem ulceris prægressi ex contracto callo in externæ cutis unione apparent, ut Gal. ipse lib. 14. Method. med. cap. 10. persequitur, quia nunquam quod generatur ad unciendam continui solutionem est vere ipsum, quod ante erat; at etiam si quam minima sit continui solutio, semper ubi uniatur vestigium prægressæ solutionis retinet: quamvis enim quod de novo generatum est cuti simillimum sit, cutis tamen non est, ut addebat ibidem Galenus, quando & densior ea particula de novo pullulans visu, tactuque invenitur; imo cicatrices ab hujusmodi pravis tumoribus relicte, retro quoque colore se produunt, cum sequantur humoris peccantis conditionem, qui niger, ac teter in his tumoribus est.

Insurgere tamen poterat aliqua difficultas, quam, licet minimi momenti sit, dissolvere operæ pretium est: patet enim ex dictis testium, tumorem illum fuisse ulceratum, & per ulciculum perpetuo pus emanasse; quæ evacuatio videtur huic morbo proportionatissima, neque enim tutius, aut melius tumores, quam per puris expurgationem terminari possunt, si insensibilem evacuationem excipiamus.

## CONSILIVM IX.

## ARGUMENTUM.

Nobilis mulier Aretina Alexandra nomine summa, ac extrema parienti difficultate confitebatur, Puer enim brachium extra uterum porrexerat, cumque eo modo exitum ab utero invenire non posset, Animam exhalauerat, unde Mater in majorem parienti difficultatem devoluta, jam præ dolore Animam agebat, ventre mirum in modum intumescente. Ejus Frater Cathedralis Ecclesiæ Canonicus eam Beato Gregorio Decimo sanctæ memoriæ Pontifici maximo humiliter commendat, atque dicto citius, non reducto Pueri brachio intro, feliciter parit, nullis omnino relictis prægressæ difficultatis Partus vestigiis.

## SVMMARIVM.

- 1 In probandis sanationibus miraculosis excludenda est ab effectu, Natura, & Ars.
- 2 Non dicitur miraculum, opus quod Naturæ vires non excedat.
- 3 Naturæ vires superare aliquem effectum secundum quid, quot modis contingere solet.

- 4 Calore, & Spiritu utitur Natura tanquam instrumentis ad suas actiones exercendas.
- 5 Ad Partus actionem requiritur tam Mater, quam fetus vegetus calor.
- 6 Sanationes multe miraculose existimantur, & jure de illis dubitatur.
- 7 Quæ conditiones consideranda in sanationibus, quid miraculose sint judicanda.

- 8 Subita sanatio, cruda existente morbo, naturaliter succedere non potest.
- 9 Indicationes eventientes cruda existente morbo bonæ naturaliter nullo modo esse possunt.
- 10 Figura partus alia naturalis, & faciles, a'ia non naturalis, & difficiles.
- 11 Morbi augmentum quando dicitur.
- 12 Morbus in augmento dicitur crudus.
- 13 Ars est Naturæ ministra.
- 14 Crisis est Naturæ opus, demonstratque ipsius Naturæ virtutem supra morbum.
- 15 In sacra historia nullus morbus apparet curatus per aliquam crism.
- 16 Natura operatur per alterationem, & idcirco in tempore.
- 17 Sanatio miraculosa debet esse indequaque perfecta.
- 18 Stermutatio superveniens in partu difficili cur bona.
- 19 Partus difficultes in quos morbos Mulieres compellant.

**I**N probatione Miraculorum, quæ respiciunt morborum sanationes, illud maxime locum habere videtur, Exclusio nempe tam Naturæ, quam Artis, & utriusque ineptitudo, & impotentia ad ejus operis productionem: nam quod pertinet ad Naturam, notissimum est, non dici Miraculosum opus, quod supra Naturæ facultatem, & ordinem aliquo modo, hoc est, aut simpliciter, aut saltem secundum quid non existat D. Thom. p. 1. *quest. 115. art. 7. in princ.* Martin. Delr. *Disquisit. Magic. Quest. 7. lib. 2. ca. enim de re hæc conditio, quod effectus sit supra Naturæ vires delideratio* ab omnibus DD. in effectu, qui miraculosus sit judicandus. Malvet. *de Canoniz. sancti. dub. 3. num. 40.* Cassan. *in Cathal. Glor. mund. par. 3. confid. 49.* Malfard. *de Probat. conclus. 262. num. 34.* Delirus loco cit. Barbof. *de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 97. num. 8.* Biderman. *in Agonist. cap. 14.* & ex Medicis insinuat hoc ipsum à Vallesio in *lib. de sac. Philosoph. cap. 35.* Sed cum, ut annuimus superius, non necessarium sit ad Miraculi essentiam, ut sit opus supra Naturæ vires simpliciter, sed satis sit ut secundum quid ejusdem Naturæ vires exuperet, notandum hoc non unica ratione fieri posse: quia sunt nonnulla miracula, quæ quidem per causas naturales nullo modo fieri possunt, sed alia sunt nonnulla, quæ per eadem causas possunt fieri, in actu tamen per eas nequaquam fiat, ut Mannæ descensus in deserto; alia enim Manna naturaliter descendit, aut pluvia ad preces sanctorum accersita, quæ similiter naturaliter producitur. alia vero miraculosa opera fiunt, quæ vere à causis naturalibus procedunt, sed quæ minime erant dispositæ ad talem effectum producendum, quale esset mundatio Lepre in Nahaman Syro; siquidem ea sanatio per causam naturalem facta est, per aquam nempe Iordanis, sed quæ minime habebat eam aptitudinem mundandi corpora à Lepra. Ac denique alia miracula sunt, quæ fiunt per causas naturales, habentes etiam aliquam dispositionem ad agendum, non tamen proximam, neque sufficientem efficacia dotatam, immo valde remotam, ac insufficientem, quale esset fel Pifcis ad Tobia cæcitatem sanandam, quia id medicamentum erat quidem aptum, & habens hanc dispositionem à Natura ad abigendam cæcitatem provenientem ex crassis humoribus, ob maximam absterfionem & discuffionem, quam à Natura fortitur, non tamen ea dispositio erat proxima, & talis, ut tam modico tempore, immo in instanti sanare posset cæcitatem, cum non modo non haberet pa-

rem efficaciam ad hoc sufficientem, sed neque aliquo modo similem, ut unica vice applicatum posset hunc effectum producere, ut optime percurrit Vallesius in *sac. Philosoph. cap. 42.* & notavi ego alias *lib. 4. Quest. Medico-leg. Tit. 1. quest. 8. num. 50.*

Hic sic se habentibus, ut innotescat, an casus propositus Miraculi nomen mereatur, necne, videndum, quonam pacto dispositæ essent causæ naturales, ex quibus effectus erat expectandus in casu nostro, quæ causæ erant calor, & spiritus: his enim mediantibus tanquam instrumentis utitur Natura ad suas actiones exercendas. Aristot. *lib. 2. de Part. Anim. cap. 7.* Galen. *comm. 5. Aphor. 53.* Non videtur autem absolute dicendum, quod effectus, de quo agitur, successerit abque illo harum causarum concursu, quia in miraculis, quæ omnino abque hujusmodi naturalium causarum concursu eveniunt, apparet evidenter supranaturalis causæ operatio, ut clare videtur, quod pro exemplo sit, in locu Petri, quæ morbo cruda existente ad solum Christi Domini nutum confestim surgens ministrabat illis. At hæc sanatio non supergreditur simpliciter Naturæ creatæ vires, sed secundum quid, ut videbimus. dicendum ergo, effectum hunc à naturalibus quidem causis dependentiam habuisse, sed quæ minime erant dispositæ ad agendum. Quod vero hoc ita se haberet facillime probatur, cum ad Partus actionem requiratur calor vegetus, & fortis, non modo ipsius Matris, sed etiam ipsius Pueri. Hippocr. *lib. 2. de morb. Mul. & alias alibi Aetius ferm. 16. cap. 22.* & alii omnes; insuperque requiratur ipsius Pueri aut naturalis situs, aut talis, ut saltem quomodo cunque exire possit in lucem, patet in nostro casu utriusque calorem omnino fuisse improporcionatum ad Partus actionem, nullamque habuisse dispositionem ad operandum, immo contra ab omni hujusmodi dispositione fuisse remotissimum; quia ex parte Pueri omnino erat extinctus, cum ille jam diu esset mortuus, ut unanimiter deponunt Testes omnes *super. 27.* Ex parte vero Matris erat in extremo debilitatis, cum illa jam animam ageret, ut idem Testes super eodem deponunt. Situs denique ipsius fætus erat talis, ut omnino exitum illi impediret, etiam si & Mater & Puer ipse validissimas fortiter essent vires, nam erat undequaque impossibile, Puerum in eo situ permanentem exire ab utero posse. Cum ergo calor, qui in hac actione præcipua causa agens est, adeo improporcionatus esset respectu tam valide actionis, qualis est actio pariendi, & pariendi mortuum, (nam tunc præcipue major requiritur ex parte Matris) & alia ex parte adesse renitentia, & repugnantia subjeçti, in quod agebat, tanta ut nullo modo esset aptum ad patiendum; concludendum est omnino, effectum secutum nequaquam à calore ut causâ naturali emanasse.

Quoniam autem effectus quidam admirandi, in quibus naturalium causarum concursus interfuisse ambigitur, eo difficultius pro miraculosis judicantur, quo naturales ipsæ causæ magis aptæ videbantur ad effectum illum producendum, ne in his judicandis, & peculiariter in hoc opere, de quo agitur, decipiamur; necessarium videtur per aliquot signa opus à supernaturali causâ emanasse, & quod miraculosum vere est, ab eo, quod à naturali emanat, intertinguere; hoc enim pacto facillime in veritatis cognitionem deveniemus. Inter hæc autem miracula ex præcipue sunt, ut dixi, quæ circa infirmorum sanationes contingunt,

tingunt, nam hæc & frequentius conspiciuntur, & jure de illis dubitatur, quia hominum vulgus in Ægrotis, qui in aliquo manifesto vitæ periculo constituntur, & mox ab eo periculo evadunt semper miracula commentatur, cum tamen pateat, vera miracula de raro fieri; at in his sanationibus ea miracula existimantur, quæ vulgo admirationem excitant, quando præter spem aliqui ex Naturæ vim mirabiliter sanantur. Avic. 4. *tract. 2. cap. 110.* Ut ergo naturales hujusmodi mirabiles sanationes à vere miraculosis fecerantur, videntur in miraculosis nonnullæ conditiones adnotandæ, quæ in naturalibus nequaquam adnotantur. quarum aliqua ex parte morbi se tenent, alia vero ex modo sanationis considerandas se offerunt. nam primo ex parte morbi videtur necessarium, quod morbus, ex quo quis per miraculum convalescit, sit sua natura difficilis, quia miraculum non potest in levioribus consistere, cum sit opus arduum. D. Thom. p. 1. *loco cit.* Secundo morbus debet esse gravis, nempe aut cum manifestissimo vitæ periculo, aut cum ineptitudine ad reductionem status naturalis; in utroque enim casu facilius datur occasio presumendi, Naturam esse à morbo superatam, neque ullam amplius virtutem fortiri ad sanitatem introducendam, cum contra in morbo neque gravi, neque adeo periculo proximo, presumatur Natura esse superior, & facile posse illum superare. at secuta sanitate in morbo gravi & periculosissimo, sanitas non potest ipsi Naturæ accepta referri, quantum est ex hoc, ut omnino alias ad ipsam referenda est, cum Natura sit morborum medicatrix, & causâ sanationis adeo manifesta & evidens, ut frustra minus evidentem quæramus. Rota in novissimis *decis. 706. par. 1.* & notum est in Philosophia.

Tertio videtur necessarium, quod morbus sit adhuc crudus, & in augmento, quando accidentia adhuc augentur, & morbus vires acquirit eundo, aut saltem necesse est, ut sit in principio status, quia cum est vere in statu, & appropinquat declinatio, aliquando fit repentina, ac momentanea mutatio, etiam præter spem, & cum summa admiratione adstantium ad salutem, quæ à Natura quidem est, quæ morbifica causa in eo agone superata, ac validior reddita, corporis actiones suo libito exercet, concoctioque humores quocunque libet expellit, unde bonæ ac salutares crises emergunt, in quibus subito, & de repente integra sanitas restituitur. Galenus *comm. 2. Aphor. 13.* & alibi alias, & hæc morbo cruda existente naturaliter succedere non possunt, quod idem Gal. *firmas comm. 1. in 1. Præbet.*

Hippocr. *par. 13.* cum indicationes eventientes in morbis crudis à Natura esse non possint, nec bonæ idcirco sint; & sic sanatio subitanea facta eo tempore potius ex vi supernaturalis, quam naturalis causæ successa existimatur. His præmissis, apparet jam in casu nostro prædictas omnes, ac singulas conditiones adfuisse, unde inferitur quod miraculosus fuerit, & non naturalis, quia primo morbus abque dubio erat difficilis, quod patet ex ipsa hujus symptomatis appellatione, dicitur enim Partus difficilis; immo cum partuum difficultium unus sit difficilior altero, hic erat omnium difficilissimus, ut ex dicendis patet. Patet etiam ex facti narratione, quia cum figuræ, quæ in Partu conspiciuntur, alia sunt naturales, ex quibus partus facilius existit, nempe quando fætus in caput fertur. Hippocr. *de Nat. Furr. 118.* & *lib. 1. de morb. mul. num. 50.* Paul. *lib. 13.*

cap. 66. Aetius *lib. 16. cap. 22.* & alii omnes Doctores; alia vero sint, quæ non naturales existunt, quarum aliqua partium mediocriter difficilem faciunt, ut quando Puer exiit in Pedes. Paul. & Aet. *loco cit.* alia tandem, quæ faciunt partum difficillimum, constat in casu nostro eam fuisse omnium, ut dixi, difficillimam, quia infans brachium foras porrexe rat, qua figura nunquam possibile naturaliter est, ut partus succedat, quia capite in scapulas conduplicato exire cogitur, hoc autem nec tentatum succedit, nec sine summa Matris pernicie tentari posset. Patrens suæ Chirurgiæ *lib. 23. cap. 16.* Mercurius in *lib. della Commare 2. cap. 3.* Relinquo mille alias conditiones, quæ morbum hunc in extremo difficultatis constituebant, ut Matris erat debilitas, fætus ipsius interitus, & corruptio, diuturnitas partus, & alia multæ brevitatis causâ omissendæ. Ex quibus etiam inferitur, adfuisse secundum conditionem commostrantem effectum miraculosum, cum hic morbus non solum gravis esset, sed gravissimus, & maxime lethalis. Hippocr. *ubi proxime:* neque hoc abque manifesta ratione, quia non una solummodo, atque illa quidem maximi ponderis causâ ad Parturientis interitum conspiraret, sed multæ, ac validæ, quarum unaquæque per se poterat occidere, ut dolores vehementissimi, & indefinites, syncopis, extrema debilitas, fætus corruptio, & alia permutæ.

Constat denique, morbum hunc eo ipso tempore, quo solutus est, perstrixisse in suo vigore, quia accidentia in horas augebantur, & fortiora evadabant, ut ex factis patet; hoc autem tempus dicitur morbi augmentum Galen. *lib. 1. de Crisib. cap. 3.* & alibi *sepe.* Ac cum morbus est in augmento, tunc dicitur crudus (licet hic nulla concoctio expectari posset, sed tantum reductio Pueri ad figuram naturalem, quod nequaquam successit) idem Galen. *ibid. cap. 5.* Quod autem Accidentia crescerent, patet ex dictis Testium, cum dolores fierent in horas atrociores, venter majorem in modum tumesceret, & fætus magis magisque corrumperetur, unde Parturientis jam morti erat proxima, unde septimus Testis *super. 22.* dicit, *Che stava agonizando in strazagantissime maniere, & 15. super eodem.* Scava della signora proli detti dolori in cattivissimi termini, essendole piu' dell' ordinarvio gonfio il corpo, & eravordo all' ultimo della vita & ibid. super eodem testatur, *chiera messa per spedia, da' Medici, havendo fatto il corpo gonfio, & il parto si era corvinciato à corrompere.* Sed & in modo sanationis, si considerare velimus conditiones omnes ac singulas ita concomitatas, hoc opus inveniemus, ut de miraculo ulterius ambigere pervicacis omnino ingenii videri possit. Et prima conditio est, quod non præcesserint media naturalia, quibus accepta referri possit sanatio, quemadmodum quod non præcesserint auxilia ab Arte petita; tantumdem est opus aliquod succedere in his effectibus ex natura, ac succedere ex Arte, quia Ars est Natura ministra, Galen. *comm. 4. Aphor. 2.*

Secunda conditio est, quod morbus sanatus fuerit abque ulla Crisi, nam Crisis est Naturæ opus, & indicat ipsius Naturæ virtutem supra morbum, & est mutatio à Natura facta in bonum, idem Gal. *lib. 1. de Crisib. cap. 1.* in qua mutatione maxime, cum undequaque tuta est, solet Natura semper aliquam insignem evacuationem moliri, cum ergo morbi per similes evacuationes finiuntur, satis aperte apparet, Naturam in ea sanatione fuisse operatricem, unde tales sanationes pro miraculosis non fani-  
ij. L 11 3 cile

15 cile acceptandæ, nihil aliunde constet, & hac de causa noto in sacra historia nullum morbum per huiusmodi evacuationem fuisse curatum, ( nisi fortasse objicias Tobia cæcitate in Veteri, & cæcitate Pauli in Novo Testamento, ut hoc non ob aliud factum est, nisi ut pateret, eas sanationes undequaque miraculosas fuisse, neque ullum in ea re posset asserre dubium aliqua præsumpta dependentia ab ipsa Natura.

Tertia conditio est, ut sanatio fiat subito, & in instanti, ac præter spem; Malvetius de Canoniz. sancti. dub. 3. num. 2. 5. & hoc quia Natura operatur per alterationem, & ideo operatur in tempore, quia alteratio in instanti fieri non potest, cum motus in instanti non fiat. Arist. lib. 6. Physic. ix. 7. 4. & ibi Averrois in Parap.

17 Quarta conditio est, quod sanatio sit undequaque perfecta; Marc. Anton. Genuensis in prax. Archiepisc. Neap. cap. 59. Martin. Delr. lib. 3. Disquisit. Magic. quæst. 7. Ricc. in prax. Episc. resolut. 487. num. 7. & ex Medicis Fortunius Licet. in lib. de his, qui diu sine alim. vivunt, lib. 2. cap. 172. in fin. & iure, quia cum miraculum à perfectissima causa emanet, opus perfectissimum sit oportet.

Has omnes ergo conditiones adfuisse in hoc casu manifestissime patet; nam quoad primam, jam per testium depositionem apparet administrata remedia, & præcipue manuales machinationem, quæ hic maxime locum habebat, cum per eam tantum posset reduci partus ad naturalem figuram, nihil omnino contulisse, ut unanimiter testes deponunt, unde neque ullis aliis remediis spererat locus, quod aperitissime fatetur testis 17. super 27. qui Medicus est dicens. *E pero ne feci il Pronostico, che quanto all' Arte della Medicina non ci fosse rimedio.* & probatur evidenter ex facto, quia licet non desint generosiora remedia, ut balnea, repetita concussiones, & tandem exercitio, tamen quia priora hic non habebant locum, & posterius ægra præ debilitate non admittebat, prudenter quidem prætermittentur, admonentibus DD. hæc non debere nos machinari, ubi præ debilitate servari non possit patiens, sed eam ut desperatam omnino relinquendam. Aetius loco cit. Avicenna ibid. cæterique omnes cum de sectione verba faciunt.

Quoad secundam conditionem nihil est in nostro casu consideratione dignum, quia sanatio consistebat in expulsionem fœtus, in quo casu non consideratur concoctio, sed bene situs conveniens ipsius

Pueri; unde si naturaliter nasci debuisset, dico ex Natura ipsius beneficio, necesse erat, ut ante ad naturalem situm reduceretur, & tamen constat de contrario ex Medici depositione testis sc. 17. ibi. *Ritornando jo la sera del med. giorno intesi, che la creatura era morta, e stava ancora nella med. postura.* Adde his, quod nullum apparuerit signum resurgentis Naturæ, aut aliquo modo invalentis, ut fieri in his casibus solet, in quibus sternutatio signum salutis est. Hippocr. lib. 5. Aphor. 7. at hoc non modo ob concitationem, sed etiam quia Naturæ validioris specimen præbet, bonum esse solet; sed in hoc casu neque supervenit sternutatio, nec si supervenisset, quicquam contulisset, cum fetus eo modo positus nullo modo expelli naturaliter posset.

Quod pertinet ad tertiam conditionem nullum videtur posse intercedere dubium, quia non modo partus sine expulsio mortui fetus subito, & in instanti successit, cum esset ex parte Naturæ impossibilis, sed etiam præter spem, non imperitorum, inquam, sed etiam peritorum, ut ex ipsorum depositionibus patet. Nam ibid. super 27. *Et jo confesso in vestra, che in ventio peattro anni che jo questa professione non mi son mai trovato ad accidente simile & 17. super eodem delohi jo facendo il segno della santa cruce, &c.*

Quoad quartam denique, (quæ per se sola profecto in hoc casu posset hoc opus pro miraculo canonizare) manifestum est, sanationem hanc fuisse perfectissimam, quia cum similes partus in via naturæ soleant compellere mulieres in hernias, in venarum rupturas, in Arteriarum delationes, in uteri inflammationes, aut in irreparabilem eisdem exitum, & in alios etiam peiores morbos Avic. 2. 1. 3. tract. 2. cap. 21. imo ulterius consuecant cum jam corpus intumuit, ut evenerat huic Puerperæ, vomitum accerlant, & cum tremore mortiferam nervorum distentionem Cels. lib. 7. cap. 24. in hoc casu non modo nullum eorum malorum successit, sed mulier feliciter, ac celeriter à conceptio voto per D. Canonicum ejus Fratrem B. Gregorio peperit, & undique sana permansit, ut ex dictis testium elicatur. Atque etiam si in tam difficili, ac tam molesto partu debuissent ex necessitate remanere saltem vestigia aliqua prægressi morbi, ut ipsius uteri hiatus, & laceratio, & huiusmodi, nihilominus ad majorem miraculi evidentiam tam sana Puerpera remansit, ac si naturaliter, feliciter, & absque ulla vi peperisset.

etiam ex ejus virtute videntur miracula contingere, & talia, ut ab ejus potentia emanare minime credantur. Probatur autem videtur ex ejusdem Physici præsentis testis ad hoc examinati dictis, casum fuisse quidem & arduum, & difficillimum, non tamen in via Naturæ impossibilem. Ita enim deponit super 17. *Por che nel continuo di quelle, che si riducono a tal termine, a gram fatica una ves campata.* Satis superque ergo ostendit Naturæ potentiam, si non modo inter centum, sed inter mille, immo inter decem mille una femina eo modo constituta sanitati ex ejus virtute restituitur; quemadmodum etiam hominem sine externo cibo vivere rarissimum sit, nec de facili reperibile, cum vix unus, aut alter in innumerabili hominum multitudine sine cibo vivere poterit, non ideo supra Naturæ vires est, si id unus, aut alter facere poterit. Auger facti possibilitatem quotidiana experientia, cum in horas videamus, Pueros in nates, in ventrem, in latera, divaricatis cruribus, aut brachiis extensis, altero pedo tantum excolto, non tantum nasci, sed nasci etiam vivos, & inermes, matre quoque incolam permanente. Pro hujus dubii solutione supplicamus, casum hunc non simpliciter, & solum ut partum difficilem considerari, sed ut talem partum difficilem, hoc est, cum omnibus, ac singulis concurrentibus circumstantiis; nam si hoc modo consideretur, facile erit determinare, neque Naturam, neque Artem quicquam in eo casu cooperatam; imo non modo nihil alterutrum fuisse operatam, sed neque quicquam operari potuisse, & sic Medici dictam non restringitur ad hunc difficilem partum, sed ad statum Ægotantis, quatenus erat jam exspiratura animam, unde dicit di quelle, *che si riducono a tal termine;* quæ verba non ad partus difficultatem, sed ut dixi, ad statum Parturientis referuntur. Sed quoad Artem probatur ex facti narratione, cum neque medicamenta, neque ulla alia remedia medica quicquam contulerint, unanimiter omnes testes deponunt, præterquam quod non datur hic locus aliis remediis, quam manuali machinationi, quæ jam frustra Medici usi fuerant. Neque dicendum est, quod etiam præsidia Medica adhibita statim non contulerint, potuerint tamen temporis lapsu contulisse, cum operentur per alterationem, & in tempore, aut saltem potuerint disponere Naturam ad agendum, quia, ut dixi, hinc nulla Arti remanebat intentio, nisi operari ut fœtus exertum brachium intro reduceret, quia eo modo nato nasci non poterat, neque à matre expelli, neque

agitationibus, & huiusmodi machinationis, quæ omnia incausum jam fuisse tentata ex depositione testium manifestissimum sit.

Impossibilitatem porro operandi ipsius Naturæ deducimus ex causarum naturalium insufficientia, ex ineptitudine, & repugnantia materie, & ex operis ipsius successu. Insufficientia causarum satis superque demonstratur, quia, ut alias diximus, in hac actione, quæ dicitur Partus causa primario agens calor ipse est, & spiritus, vires nempe tam matris, quam fœtus, Hippocr. lib. 2. de morb. mul. & alii omnes. Vires igitur tanto magis constare debent, quanto difficilior partus est ex cod. Hippocr. ibid. & ex Avic. 2. 1. 3. tract. 2. cap. 14. At qui calor, qui spiritus, quæ vires considerari possunt in Matre agonizante, in Pueri jam mortuo? in illa enim jam omnia deficiebant, in hoc autem jam profus defecerant, Sperare igitur ab his causis eo modo dispositis partum facilem, ac tutum, qualis successit, profecto magis quid est, quam sperare, mortuum propria virtute resurgere.

Non minor repugnantia erat ex parte materie, quam esset ex parte agentis; materia vero in hoc casu Puer erat in utero mortuus cum brachio exerto extra uterum, in quo situ etiam si vivus fuisset, & Matris vires fuissent validissimæ, ac robustissimæ, erat impossibile in via Naturæ ut nasceretur, quia ut dictum est ob impossibilitatem expellendi, aut extrahendi fœtum ab utero eo modo positum, suadent Auctores, ut primo brachium intro, si fieri potest, retrudatur, sin minus, abscindendum jubent, fœtu existente mortuo; nimirum quia trahere etiam per summam vim infantem eo modo situm, ab utero, succedere non potest, nisi totus uterus dilaceretur, ex qua dilaceratione quam certa, & evidentissima pericula imminant ostendit Avic. ubi supra: Sed præter Auctoritatem, etiam Ratione, & Experientia id ipsum probatur. Ratione, quia cum in fœtu, qui alterum brachium extra uterum porrigat, necesse esset, ut admonet Mercurius in lib. 2. illa Comm. cap. 3. Caput ad pectus, vel ad scapulas contorqueret, & conduplicari, fiebat, ut secundum crassiores corpufculi partes simul junctas Puer exire cogere; habent enim pueli superiora inferioribus crassiora; & præsertim caput, teste Hippocr. in lib. de Nat. Puer. Inde fit, ut non possit illo modo ea ratione situs fœtus ab utero egredi, neque etiam per vim eo modo extrahi, quia non potest uterus tantopere hiare, ut has partes simul exeuntes excipiat.

Denique ipsa experientia demonstrat facti impossibilitatem, cum defacto nullus neque vivus, neque mortuus nascatur eo modo saltem sine certa Matris perniciæ. Auctores enim Gyneciorum vel de his, quæ ad mulieres spectant, cum difficiles partus plurimos recensent in Nates, in Latera, in ventrem, diductis brachiis, aut cruribus seu etiam ambobus brachiis, aut cruribus natos fuisset, nunquam similem huic casum naturaliter successisse narant, saltem, ut dixi, sine certo Matris periculo. Cum igitur satis demonstrata sit tam Artis, quam Naturæ invaliditas operandi in huiusmodi casu, remanet, ut ex supernaturalis causæ virtute successerit, quod quidem non modo ita successisse censendum, sed facta comparatione cum aliis consimilibus casibus, dicendum, hunc nostrum multo magis exuperasse Naturæ creatæ vires, quam permultos alios ab hac sacra Rota Roman. pro miraculosis canonizatos.

CONSILIVM X.

ARGUMENTUM.

In eadem causa responderetur magis præcisè ad aliquas objectiones ab Illustrissimis Dominis Sacræ Congregationis Rituum propositas.

SUMMARIUM.

- 1 Ex Naturæ vi miracula aliquando videntur contingere, & quomodo.
- 2 Fœtus in partu, si brachium foras porrigit, nasci non potest, nisi brachium intro reduceret, & num. 4.
- 3 In partu actione causæ primario agentes sunt vires Matris & fœtus.
- 5 Saniari non dicitur morbus, qui alterum motum facit.

1 Licet plura jam deducta sint ad probandam miraculi evidentiam in casu de quo agitur, ut tamen quis excitiatus scrupulus omni ex parte removeatur, nonnulla videntur prædictis addenda; nam ad huc dubitatum est, an hoc factum Naturæ vires superaverit; etiam enim difficillimum fuerit, & supra quam dici possit, Dominam Alexandram eo modo peperisse, ac immediate bene se habuisse, tamen difficultas hæc quæcumque sit, non excludit Naturæ potentiam; nam aliquando etiam